

transire ad publicum. Et hoc intuendum est: sive secundum sensum primum, sive secundum, in modo levioris culpae est faciendum. Egregius ordo est iste in eo, quod prius dixit, proprium non habere, et statim subjunxit: sed omnia necessaria a patre monasterii sperare debere, et nunc dicit, ut, secundum quod habet, ita dividat ille abbas. Et hoc sciendum est, quia duae intentiones reperiuntur in hoc capitulo: una, qua admonet priorem, ut unicuique secundum indigentiam tribuat; altera, qua admonetur discipulus, ut plus non accipiat, sed secundum suam necessitatem, i. e. si plus indiget, plus accipiat, et si minus indiget, minus accipiat; et nec ille debet frater superbire, si plus accipit, et nec ille debet murmurare, si minus accipit, sed magis gratias referre Deo. Et quia ille cognovit, murmurare illum, qui minus accipit, et illum superbire, qui plus, ideo subjunxit legem, cum dicit: *Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat*, et dixit *districtiori disciplinae subdatur*. *Significatio* enim attinet ad vultum et incessum. Et bene ille de significatione dedit legem, quia Deus occultorum est omnium cognitor: ideo dixit significationem, ut coram Deo malus non reperiatur.

*Cap.*

*XXXV.*

DE SEPTIMANARIIS COQUINAE. *Fratres sibi invicem serviant, et nullus excusetur a coquinae officio, nisi aut aegritudine aut causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde major merces et caritas acquiritur*. Jubet enim B. Benedictus, ut omnes coquinae officium exerceant, et reddat causam, quare, cum dicit *quia exinde major merces et caritas acquiritur*. *Merces* attinet ad remunerationem, *caritas* vero ad concordiam et ad fraternam dilectionem. Bene merces ad remunerationem refertur, quia istud officium coquinae laborem habet. Nam sunt, nonnulli, qui magis cupiant aliam obedientiam exercere, quam in coquina servire propter laborem. Et ideo [unde] ille, quantum majorem laborem habet, tantum majorem remunerationem apud Deum consequetur. Et in hoc etiam